

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 27. (Neovidensis 1808. Nro. 26.)

Politicum Vita functorum Colloquium.

Elysiū Meum. - Die Veneris. 15. April. 1808 (Neov. 29. Mart. 1808.)

Sicut Romani bellum secundum Punicum olim, sic nos quoque nunc bellum secundum Anglicum pugnamus. Num & tertium? haerede Punicae fidei Anglia, nil superest, nisi bello secundo eventum secundum expugnare.

Colloquentes Manes.

Jos. de Kerguelen-Tremarec. John Johnstone.

K*erguelen.* In his oris sumus boni amici, dilecte Johnstone! in sublunari mundo utique aliter se res habuere.

Johnstone. Sed quae, obsecro, causae prohibent, quod Anglia Galliaque in pacem non coalescant tandem, & iterum?

Kerguelen. Huic ego quaestioni cum auctore Leviathani respondeo, videlicet: quod Systema Angliae aes mutuum contrahendi princeps perpetuorum, quae gerit, bellorum fons sit, & profecto usque adeo in eo Anglia processit, ut non modo non recedere, sed nec consistere amplius possit. Quotannis erogationes auferuntur, consequenter & defectus in Calculo, proinde & necessitas continenter nova & majora nomina contrahendi, & cum immensas has mutuo petitas summas status commercialis tum

solum praestandum sit, si regimen monopolium orbis, quod per bella, praepriis neutralium vexillorum despectum, ad se pertraxit; per nova bella se procuraturum & conservaturum polliceatur, hinc sit: ut Anglia perpetuo cum omnibus maritimis Stat. se involvi bello perspiciat.

Johnstone. Singulares mehercule! mentis conceptus.

Kerguelen. Si Anglia durabili maritima pace, Statibus maritimis vires recuperare admitteret, (ad quas recipiendas tam multis adiunctis provisa Gallia multo tempore non egeret) tum enimvero actum esset de monopolio, & cum hoc facultas mercatorum pecunias novas mutuandi, atque totius Anglicanae politicae machinae existentia corrueret. Cum jam mutuum a Conventu Ordinum tantum indulgeri, a statu vero Mercuriali tantum praestari possit, dum bellum incidit, quod huic statui orbis monopolium procurat, pacis vero conclusio, commercium aliis denuo manibus consignare posset, hinc Anglia adacta est bellum prosequi usque plenam magni aemuli sui humiliationem, aut propriam suimetipsius dissolutionem, quae durabili pace secuta, utique & maturius adhuc, per maximam aerarii publici ruinam, quae unquam accidit, quamque orbis Cridam adpellare possemus, accerseretur.

Johnstone. Et quid Gallia?

Kerguelen. Galliam quod attinet: haec aequae gravissimas habet rationes, non aliter pacem conficiendi, quam sub vadimonio: eam non intra paucos annos rursus turbatum iri — hunc Casum ceu certum praesumere debet, ut primum de Angliae perpetuum bellum gerendi necessitate rationibus convicta fuerit. Cum vero Anglia haec probe callens pacem solum precariam indulgere velit, ut proxima occasione Gallicanas bellicas & commerciales na-

ves atque Oceano creditas Capitales Summas uno ictu ad se pertrahere valeat, an Gallia argui potest, ab ea talem pacem acceptari qualis intenditur? quanto, quaeso tempore Ambracensis pax durabat? quae Gallicano commercio novissimum & luctuosissimum vulnus infligebat; cum id per subitanam Angliae ad bellum prorruptionem improvisam, & minime exspectatam, naves suas & centum prope Librarum milliones, quos valor mercium contentarum constituerebat, non computato eo: per id expeditionem quoque in Insulam S. Dominici in irritum cecidisse, amiserit & tantarum opum jacturam tulerit. Nova, absque Garantia durabilitatis inita, pax est absque Commercio, quippe quis mercator fidei & fidelitati Angliae deinceps novas naves, & pecunias fluctibus maris concedere ausit?

Conclusio Cæsaris Decreti de 17. Martii intuita erigendæ Universitatis.

Collegae Universitatis spondent Statuta & ordinationes Universitatis custodire, porro fide Magno Magistro se obstringunt, in quibusvis, quae in argumento muneris & ad institutionis emolumentum conferunt, obsequium praestituros. — Sese obligant: Collegium Institutiones atque Stationes non prius deserturos, quam accepta iis decedendi a Magno Magistro venia. Qui Collegio Institutionis decedit, quin huic formalitati satis fecerit, ex Catastro Universitatis delebitur; insuper poenam hac exterminatione connexam incurret. Collegiis Universitatis nullum publicum, aut privatum servitium, quod aere persolvitur, absque expressa M. Magistri permissione assumere licet. — Porro obligantur M. Magistrum ejusque Officiales de omnibus certiores reddere, quaecunque tanquam doctrinae & Collegii Institutionis principiis in publicis Institutis litterariis adversari compe-

rerint. Collega quisque Universitatis ex Catastro Universitatis delectus omnis publici aliquando muneris gerendi incapax est.

Caesarea Universitas subest moderationi unius Magni Magistri — quem creandi & munere privandi Imperator jure pollet. M. Magister denominat penes Collegia & Licea ad administrationis & doctiois munera; non secus & alumnos ad vacantes stationes in Liceis. Is impertit facultatem docendi gradum academicum adeptis. Porro Institutores, ac praesides Scholarum secundariarum a Communitatibus provisarum, prout & officiales & Professores Liceorum cum Consilio Senatus de statione transferendi jure gaudet. Collegas Universitatis ad Carcerem, ad Censuram, ad stationis mutationem condemnare, & ab officio suspendere valet. Gradus, Tituli, munera, Cathedrae generatim quaevis officia Universitatis Collegii membris per Diploma conferuntur, quae a M. Magistro eduntur atque Sigillo Universitatis muniuntur. Is impertit diversis Scholis ordinationes, quae a Senatu Universitatis discutiuntur, cui ille praesidet, omnesque ejus Collegas denominat. Ei quoque rationes percepti & expensi in argumento diversorum Institutorum litterariorum redduntur. Insigne Universitatis exhibet aquilam ramum palmi tenentem.

M. Magistrum ordine excipit Cancellarius & Thesaurarius, quos aequae Imperator denominat, & ab eo munere privari possunt. Cancellario incumbit custodia Archivi & Sigilli Universitatis, ille subscribit quibusvis a M. Magistro edendis & a Senatu Decretis, prout etiam omnibus pro dignitatibus elargiendis Diplomatibus. — Thesaurario praecipue inspectio, perceptionum & redituum commissa est; qui eam gerit, ut perceptae in universo Impe-

rio in emolumentum Universitatis praestationes accurate aerario inferantur, ordinat exsolutiones Salariorum, & pensionum, invigilat decore Liceorum & Collegiorum & de omnibus his Magno Magistro & Senatui relationem praestat.

Senatus Universitatis constat XXX. membris; quorum sex de Inspectoribus, quatuor ex Rectoribus eliguntur; qui Consilarii ad dies vitae sunt. Reliqui viginti, qui ordinarii Consilarii sunt, ex Inspectoribus, Decanis & Provisoribus deliguntur; — Senatus hic qui Generalem Secretarium adjunctum habet, ad minimum binis per hebdomadam vicibus congregatur, atque in quinas sectiones dividitur; quarum singulae proprium habent objectum. Huic Collegio M. Magister quaevis Plana, Decreta & Statuta substernit, Intuitu Scholarum edenda, ad discutiendum, quaestiones omnes, quae politiam, decorum, communem administrationem Facultatum, Liceorum & Collegiorum respiciunt, a Senatu deciduntur, qui etiam in Causis controversis superiorum, & exceptionibus Subalternorum cognoscit.

In principe cujusvis Academiae domicilio Senatus existit denis constans membris a M. Magistro eligendis, quibus Rectores praesident. Hic Senatus quot mensibus saltim binis vicibus cogitur ad consilia super statu Scholarum in Districtu suo sitarum, conferenda.

M. Magister denominat minimum viginti, plurimum triginta Generales Inspectores, qui ejus jussu Facultates, Licea, Collegia invisunt & lustrant. Penes singulas Academias praeterea unus, aut duo speciales habentur Inspectores, qui ad jussum Rectoris Scholas Districtus sui, praeprimis Collegia, Instituta, Pensionatus & primarias scholas perlustrant, ii a M. Magistro erga propositionem Rectoris denominantur.

Quaevis Academia subest moderationi Rectoris, quem M. Magister in quinquennium denominat; Rectores Diplomata elargiuntur, & in genere inspectionem habent, in Facultates, Licea & Collegia.

Deinceps, & postquam Universitas ad perfectionem perducta fuerit, Provisores, atque Censores Liceorum, prout Praesides Docentesque Collegiorum, & studiorum magistri coelibem, atque communem vitam agere obligantur; Professores Liceorum conjugati quidem esse possunt, at in hoc casu extra pomeria Lycei hospitium habere debent. — Nemini Institutum litterarium, aut Pensionatum erigere licet; absque praevia Magni Magistri facultate. — Academiae cuius in Collegiis & Lyceis Normales Classes adjunguntur, ad magistros primariorum Scholarum praeparandos.

Parisiis Normalis Pensionatus erigitur, ut in eo tercenti Juvenes pro Cathedris Lyceorum, & Collegiorum parentur, hi alumni, ex praestantissima Juventute eliguntur, quos Lyceum habet. Ut vero in hunc Nationalem Pensionatum quis cooptetur, obligare se praevie debet ad decennalem Collegio Institutionibus operam navandam.

Magistri Studiorum in Lyceis, & Docentes in Collegiis Professoratibus in Lyceis admo-
veri possunt. Eorum numerus tertiam solum Professorum partem efficere potest. Quivis annum 400 Franc. obtinet stipendium usque munus Professoris in Lyceo aliquo consequatur. M. Magister inter diversas Acad. eos distribuit, in quibus aegrotorum Professorum vices supplent

Omnes officiales & muneri cuius penes publicum litterarium Institutum (exceptis docentibus in Collegiis, atque studiorum Magistris) post exacta continua serie 30 annorum servitia, pensione rudeque donari possunt. Assignatur

his distincta habitatio, in qua ad rationes Universitatis aluntur. Si Universitati admoti tempore muneris sui gesti ob adversam valetudinem inhabiles redduntur, nec ultra servire possunt, eorum ante servitii trigesimum annum in memoratas aedes recipi possunt. Membra, olim dictarum Institutionis Corporationum, qui 60 annorum sunt, atque in memoratis casibus adjunctisque versantur, in easdem aedes recipi, aut pensione donari possunt.

Praeter casuales redditus Universitati 40000 Franc. reddituum assignantur, qui magno Rationario inscripti, & assignati habentur.

Caesarea Universitas, & Magnus ejus Magister a nobis exclusive sollicitudinem & curam educationis, atque publicae institutionis in universo Imperio demandatam & concreditam habet. Eorum conatus in id dirigendi: ut institutio in omnibus suis partibus ad perfectionem deducatur, praepriis curandum habent: ut institutio in litteris cum comparatis scientiis aequali gressu procedat, & spiritus systematis nunquam earum progressum prohibeat."

Hodierno Monitore praeterea sequens Caesareum Decretum de 24 hujus continetur: Perlecto Senatus Consulto de 12. Octob. 1807. intuitu Judiciariae Constitutionis, perspecta Magni Judicis, Justitiae ministri, de membris Tribunalium, & Fororum Judiciariorum relatione, quae ei examini, erigendae vigore Articuli 3. memorati Senatus Consulti Commissionis subiecta, & subjicienda videbantur; perlustrato denique Protocollo super operationibus hujus Commissionis, in quibus motivis instructa opinio continetur; sequentes Judices ab officii sui functionibus levantur (hic adjunguntur in Decreto nomina 68 judicum ex Dioecibus Tribunalium Adpellationum.

Hafnia 19. *Martii* Princeps de Monte Corvo hic moratur; & quotidie ferme apud regem — hyems adhuc saevit & in fretis copiosa est glacies — Classicula Anglicana in Freto stationem accepit, at rursus abscessit. Copiae Gallicanae numerosas in Selandia expectantur, pro quibus excipiendis adparatus fiunt.

B I O G R A P H I A.

Johnson (Joannes) Eques de Alva, & frater Nob. W. Pulteney, & defuncti Gubernatoris Johnstone, primam aetatem exegit in stipendiis societatis Indiarum orientalium. Erat subin membrum Senatus Bengaliae, & Praeses Provinciae Windnapore; durante lite cum Nahob Cossim Chano — habetur ab eo: opus: litterae de Indiis, editum 1768. 8. in quo se adversus prolatas ab Ill. Elive querelas defendit, obiit die 10. Decembris. 1796.

Kerguelen Tremarec (Yves Josephus) Celebris per itinera navalia, & detectam ab eo adpellatam Insulam, Gallicus contra Admiralis, & membrum Academiae olim maritimae. Habentur ab eo editae itinerum, quae suscepit, descriptiones. Obit in Martio 1797.
